
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Einundsiebzigster Jahresbericht

über das

Königliche Paulinische Gymnasium

zu

Münster i/W.

für das Schuljahr 1890/91,


erstattet von dem Direktor

Dr. J. Frey.

Inhalt:

Münster 1891.
Druck der Coppenrathschen Buchdruckerei.

1891. Progr. No. 350.



Quaestiones Florianae.

Proximo anno Heidelbergam cum venissem ibique in bibliotheca Palatina Flori codicem Nazarianum inspicerem, rettuli me ad studia Floriana, quae longiore intervallo intermissa non tamen omnino neglexeram. Neque defuit mihi causa de Floro disputandi. Nam cum anno 1882 in dissertatione mea »De Floro historico elocutionis Taciteae imitatore« huius scriptoris syntaxim percensens Taciti et ingenii et dictionis in Floro vestigia eruere conatus essem, contra me disputavit Ernestus Bieligk, qui in dissertatione sua Halensi anno 1883 in publicum emissa »De casuum syntaxi a Floro historico usurpata« Flori et Taciti in multis rebus similitudinem ad communem aliorum scriptorum imprimis Livii usum revocandam esse censuit. Qua in re negari non potest neque id ego omnino negaveram[1]) Florum Livii libros cognitos habuisse; neque enim hoc aliter fieri potuit, cum Florus ex illius historia[2]) res narratas velut ex fonte hauriret, sive ad opus ipsum adiit sive, ut Zangemeister suspicatus est, ei praesto fuit antiquior et in nonnullis rebus immutata Livii epitoma[3]); quin etiam, quo diligentius in Flori dicendi genus inquisivi, eo magis mihi persuasi non solum Livium sed etiam Sallustium atque poetas imprimis Vergilium et Lucanum multo plus valuisse ad Flori elocutionem conformandam quam ingeniosissimum illum Tacitum. Quae omnia quamquam sine dubitatione concedo, tamen facere non possum, quin Bieligkii sententiam ab omni parte veram esse negem: demonstravit Florum prae aliis Livio ut in rebus narrandis ita in oratione conformanda usum esse, id quod nemo in dubium vocavit; Tacitum quoque a Floro lectitatum esse non refutavit. Quod si Bieligkius dicit sibi persuaderi non posse Florum in suum usum convertisse Taciti libros, cum compluribus locis ignarum se ostendat earum rerum,

---

[1]) cf. diss. pag. 6.

[2]) Exemplis, quae Bieligkius comparavit, addenda sunt: Liv. XXII 29,3 »iam magna ex parte caesis aliis, aliis circumspectantibus fugam Fabiana se acies repente *velut caelo demissa* ad auxilium ostendit«. Flor. II 6, 9 »igitur ubi semel se in Hispania movit illa gravis et luctuosa Punici belli vis atque tempestas destinatumque Romanis iam diu fulmen Saguntino igne conflavit, statim quodam impetu rapta medias perfregit Alpes et in Italiam ab illis fabulosae altitudinis nivibus *velut caelo missa* descendit«. — Liv. IX 6, 3 »ita traducti sub iugum et, quod paene gravius erat, per hostium oculos cum e saltu evasissent, etsi *velut ab inferis extracti* tum demum lucem aspicere visi sunt, tamen . . . »Flor. II 6, 23 »Permissum est interim respirare Romanis et *quasi ab inferis emergere.*«

[3]) Mirum quidem est, quod ea, quae apud Florum I 1, 2 (6, 11 in Jahnii edit.) ex Nazariani scriptura, quam recte restituit Woelfflinus (Philologischer Anzeiger 1881 p. 466) leguntur »abiectus in profluentem non potuit extingui« plane consentiunt cum iis, quae apud Quintilianum III 7, 2 exstant: »abiectus in pr. n. p. ext.«, cum Livius I 4, 5 rem ita narret: »ita velut defuncti regis imperio in proxima adluvie, ubi nunc ficus Ruminalis est — Romularem vocatam ferunt — pueros exponunt«.

quas Tacitus scripsit (Flor. IV 12, 38 de pugna Teutoburgiensi »signa et aquilas duas adhuc barbari possident«: Tac. I 60, 11 (L. Stertinius) repperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam), magnopere mehercule miror eum, qui Caroli Heynii dissertationem »De Floro historico« (Bonnae 1866) noverit, qua vir ille doctus de Flori in rebus historicis fide ac religione dilucide agit, in eiusmodi re potuisse offendere. Alia autem exempla, quibus Florus a Tacito dissentit in rebus narrandis, Bieligkius non attulit. Contra nimio id quod sibi proposuerat demonstrandi studio abreptus multas easque manifestas Taciti et Flori similitudines aut non satis bene perspexit aut omnino omisit.[1]) Quae cum ita sint, ne tacendo consentientis speciem praebeam, hanc occasionem pauca annuae scholarum relationi inserendi non praetermittendam existimo, quin ad rem iterum accedens ea, quae in Flori epitoma Taciti vere propria inveniuntur, in brevi quasi conspectu proponam. Ac si quis me multa omisisse, pauca addidisse, nonnulla aliter interpretatum esse inveniet, meminerit illud, quod est proverbio: »dies diem docet«. Verum enim non semper uno eodemque primo impetu capitur; cum in dissertatione simul id agerem, ut Flori et casuum et modorum syntaxim atque universum dicendi genus illustrarem, in magna exemplorum copia facile fieri potuit, ut non omnibus locis tam plane, quam par fuit, eluceret, quid Florus aliis, quid uni Tacito debere videatur. Accedit quod hisce annis quaestionibus, quas viri docti instituerunt in ephemeride a Woelfflino edita, quae inscribitur »Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik mit Einschluss des älteren Mittellateins« multae res, quae antea omnino latuerant, et ad linguam latinam in universum et ad singulorum scriptorum dicendi genus pertinentes in lucem protractae sunt; quae omnia in usum me convertere necesse fuit. Quod si in priore commentationis parte ea, quae Tacitus ex Flori libello quasi sua sibi vindicare possit, quam accuratissime exposuerimus, in altera nonnullos locos proponemus, quibus sive Taciteae elocutionis similitudine sive aliis causis commoti aliquid ad veram lectionem constituendam afferre posse nobis videmur.

---

[1]) Cf. Archiv für lat. Lexikographie und Grammatik I 310.

I.

De rei publicae constitutione Tacitus ita iudicat, ut, quamvis ei placere videatur libera res publica (cf. an. VI 42, 8 »populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est«), tamen nisi unius viri imperio afflictas Romanorum res sanari non posse censeat. Velut hist. I 1, 5 dicit »postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit«. an. I 6, 20 »eam esse condicionem imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur«. an. I 9, 15 de regno ab Augusto suscepto legitur: »non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam *ut ab uno regeretur*« et an. I 12, 11 de regno a Tiberio suscipiendo: »*unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum*«. Eandem prorsus sententiam atque in nonnullis eadem verba promit Florus IV 3, 5 de regno ab Augusto suscepto: »gratulandum tamen ut in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octavium Caesarem Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua adque sollertia perculsum undique ac perturbatum ordinavit imperii corpus (cf. hist. I 16, 1), quod haut dubie numquam coire et consentire potuisset, nisi *unius praesidis nutu quasi anima et mente regeretur*«.

Porro Florus aeque ac Tacitus nullam praetermittit occasionem, quin moneat, quanta mala Romani vitiis, maxime avaritia et luxuria, sibi conflaverint. Quam rem non memoraremus, nisi in ipsis exemplis tanta similitudo perspicua esset. Tac. an. IV 72, 1 »Eodem anno Frisii, transrhenanus populus, pacem exuere, nostra magis avaritia quam obsequii impatientes«. Flor. IV 12, 22 »sed quatenus sciebat patrem suum C. Caesarem bis transvectum Rhenum quaesisse bellum, in illius honorem concupierat facere provinciam, et factum erat, si barbari tam vitia nostra quam imperia ferre potuissent«. — Tac. hist. IV 34, 20 »Civilis aderat non minus vitiis hostium quam virtute suorum fretus«. Flor. III 5, 4 »spem ac fiduciam dabant nostra vitia« scl. Mithridati. Praeterea conferas velim Agr. 13, 2. 32, 1 et Flor. IV 2, 62. 12, 30. Eodem pertinet, quod Tacitus an. I 59, 13 Arminium dicentem facit: »Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum *virgas et secures et togam viderint*«. Quod reminisci videtur Florus IV 12, 32 «at illi, qui iam pridem robigine obsitos enses inertesque maererent equos, *ut primum togas et saeviora armis iura viderunt*,· duce Arminio arma corripiunt:

Quod Tacitus an. III 75, 11 Labeoni Antistio in consulatu petendo »commendationem ex iniuria« fuisse dicit, idem sensit Florus IV 4, 4 »Octavius Caesar et aetate et iniuria favorabilis« et IV 2, 56, ubi Cleopatram a Caesare eo libentius in regnum restitutam esse dicit, »quod talis passa videbatur iniuriam«.

Porro quod Tacitus Germ. 34, 9 narrat: »nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul et Herculem inquiri. Mox nemo temptavit, *sanctiusque ac reverentius* (cfr. Flor. IV 12, 66) *visum de actis deorum credere quam scire*«, id reminiscitur Florus, cum II 17, 12

de Decimo Bruto dicat: »peragratoque victor Oceani litore non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem obrutumque aquis ignem *non sine quodam sacrilegii metu et horrore* deprendit«.

Praeterea Florus Tacito debere videtur quod III 23, 8 prompsit: »victores quoque, quod non temere alias in civilibus bellis, partis contenti fuere«. Cum hac sententia confer Tacitum hist. IV 38, 9 »ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla umquam civilis victoria satiavit«.

Denique comparaverim Germ. 37, 25 »(Germani) triumphati magis quam victi erant« et Flor. IV 12, 30 »quippe Germani victi magis quam domiti erant«.

Quod in diss. p. 3 nonnulla Flori verba revocavi ad Tacitum, qui hist. II 38 ad bella civilia strictim narranda deflectit, concedo posse utrumque scriptorem ea deprompsisse ex Sallustio Cat. 10; neque tamen quisquam negaverit magnam intercedere similitudinem inter ea, quae Tacitus habet l. c. »*et in urbe media ac foro temptamenta* civilium bellorum« et Florus III 21, 1 »*et in urbe media ac foro* cives cum civibus gladiatorio more concurrerent«; cf. Flor. 19, 2 »primum servile bellum . . . in urbe ipsa *temptatum* est«.

His exemplis, quamvis pauca sint, demonstrasse mihi videor reperiri in Flori libello aliqua Tacitei ingenii vestigia; iam nonnullos locos ex utroque scriptore in medium proferre liceat, quibus tanta verborum similitudo inest, ut Florum multa ex Taciti lectione memoria retinuisse facile appareat. Omnia autem, de quibus dubium esse potest, exclusa sunt.

Tacitus.	**Florus.**
dial. 28, 26 ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura.	III 12, 2 dum sincera adhuc et innoxia pastoriae illius sectae integritas.
Agr. 17, 6 magnam Brigantium partem aut victoria amplexus est aut bello. —[1])	IV 12, 48 tripertito exercitu totam Cantabriam amplexus.
Agr. 35, 6 ingens victoriae decus.	III 10, 20 maximum victoriae decus.
Agr. 37, 24 longinqua et avia petiere.	IV 2, 86 deserta et avia petentem.
Germ. 1, 2 mutuo metu.	IV 2, 13 mutuo metu.
hist. I 18, 2 caelestes minae.	II 8, 3 caelestes minae.
hist. II, 8, 14 variis artibus adgressus est.	III 1, 10 suis artibus adgressus est.
hist. III 84, 30 vel quo maturius ludibrio eximeret (scl. Vitellium).	III 21, 15 se ludibrio hostium exemit
IV 17, 21 suetus regibus Oriens (cf. an. IV 46, 6 de Thraecibus: ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti).	II 20, 4 (de Asiae urbibus) urbis regibus parere suetas.
IV 64, 3 redisse vos in corpus.	I 3, 9, sed in suum corpus redisse rursus videretur.
an. I 2, 4 ad tuendam plebem.	III 13, 1 specie plebis tuendae.
I 10, 9 extortum invito senatu consulatum.	I 26, 4 honorum et magistratuum consortium quamvis invito senatui extorsit.
II 52, 12 cum terrorem circumferret.	II 2, 21 Regulus cum terrorem nominis sui late circumtulisset.

[1]) Cf. Georg. Helmreich, Bursians Jahresbericht 1889 pag. 231; non omnes locos, quos hic comparavit, probo

IV 15, 18 aderant iuveni modestia ac forma.	IV 2, 56 aderat puellae forma.
IV 19, 13 victoria per avaritiam foedata.	I 3, 5 sic unius manu parta victoria, quam ille mox parricidio foedavit.
IV 40, 12 erumpere aemulationem. cf. V 11, 1 discordia erupit.	IV 2, 13 statim aemulatio erupit.
IV 46, 14 castella rupibus indita.	III 1, 14 saxeo monti urbs indita.[1]
IV 50, 2 aliis mutuos inter se ictus parantibus.	IV 2, 33 mutuis ictibus inter se concurrunt.
an. VI 36, 1 Mox Artabanus tota mole regni ultum iit. hist. I 61, 10 tota mole belli secuturus. Praeterea cf. hist. II 16, 4. 74, 11. III 1, 13. 46, 11. an. I 60, 1. XIII 6, 5. XV. 2, 18. Agr. 17, 8 molem sustinuit.	III 5, 14 tota denique regni sui mole . . . veniebat. II 6, 49 cum nova belli mole veniebat. Praeterea cf. II 17, 13. III 10, 24. IV 2, 58 molem sustinuit.
an. XV 59, 7 ille scaenicus (de Nerone).	II 14, 4 ab illo imaginario et scaenico rege.
an. XVI 19, 3 vitam expulit.	III 5, 26 spiritum ferro expulit.

Cornelius in commentatione sua, quae inscribitur: Quomodo Tacitus, historiarum scriptor, in hominum memoria versatus sit usque ad renascentes literas saeculis XIV. et XV. (Programm des Kgl. Gymnasiums zu Wetzlar 1888) pag. 16 locum Flori IV 2, 17 »disciplina, armis etiam Romanis adsueverat« comparat cum Tac. an. II 52, 10; fugit eum apud Tacitum legi »disciplina et imperiis« non »d. et armis«. De hoc loco infra p. 8 dicemus.

Jam exemplis supra propositis addendae sunt nonnullae locutiones, quibus rhetorica quaedam orationis amplificatio inest, quae apud utrumque scriptorem inveniuntur. Quas si diligentius intueberis, facile in Floro Taciti vestigia agnosces. Velut *aemulatio et invidia* Tac. hist. I 65, 6. II 21, 9. 101, 5. III 65, 3. Flor. I 5, 1. 11, 1. — *causa et initium* Tac. hist. I 51, 1. II 1, 1 52, 6. IV 48, 3. an. IV 1, 5. Flor. III 21, 6. — *libido et luxus* Tac. hist. I 24, 2. Flor. IV 11, 1. — *memoria et recordatio* Tac. dial I 1, 14. Flor. II 12, 2. — *pax et quies* Tac. hist. IV 1, 18. Flor. 1 18, 25. III 21, 10. — *rabies et furor* Tac. hist. I 63, 5 Flor. I 11, 7. II 18, 15. 19, 4. — *flammis ferroque*, quod Tacitus in deliciis habuit (cf. Woelfflin. Philol. XXIX 557.), apud Florum exstat III 18, 14. — *rudis et informis* Tac. dial. 18, 5. an. XII 35, 10; cf. Germ. 45, 18. Flor. III 20, 5. — *sanctius et reverentius* Germ. 34, 11. Flor. IV 12, 66. — *pulcher ac decorus.* Agr. 33, 20. Flor. III 12, 4. — *socius amicusque* an XV 5, 3. Flor. III 21, 28. — *novus et recens* Tac. hist. IV 65, 15. *integer ac recens* Flor. III 1, 13. — *inaccessus ac praeceps* Tac. Germ. 1, 6. *arduus inaccessusque* Flor. III 1, 14. His adde haec Hendiadys figurae exempla: *clamore et impetu* Tac. hist. IV 23, 9. Flor. I 13, 14. — *luxus et otium* Tac. an. I 16, 8. IV 67, 16. *luxus et otia* Flor. II 8, 8. — *nives et montes* Tac. an. XII 13, 1. *rupes et nives* Flor. IV 12, 4. Quibus ex exemplis ut unum alterumve etiam apud alios scriptores inveniatur, tamen coniuncta demonstrant non sine aliquo fructu Taciti libros a Floro esse lectos.

Quoniam rhetoricam dictionis indolem in utroque scriptore comparavi, pauca adiungenda videntur de *orationis variatione*, in qua magna cernitur stili Tacitei proprietas. Eadem enim licentia, qua Tacitus, Florus in compluribus rebus enumerandis variat particulas, ut »et«, »que«, »atque« nullo discrimine inter se permutentur, cuius rei plurima occurrunt exempla; cf. diss. p. 24.

[1] Cf. Draeg. synt. Tacit pag. 119.

Simili modo orationis concinnitas violatur eo, quod variantur casus velut I 6, 3. 16, 3, praepositiones velut I 1, 15. 11, 5. IV 10, 7 numerus, velut I 18, 27, verbum et nomen, velut I 1, 17. 3, 1. II 6, 2, genetivus et adivectivum velut II 12, 3. 14, 3. 4. IV 9, 7, nomen gentis et terrae, velut I 9, 7. III 1, 12. 12, 4. 5, 28. 18, 6 et quae sunt similia. Qua ex re quid Flor. I 13, 2 ad veram lectionem constituendam repeti possit, in altera parte videbimus. Denique non praetermitto Florum I 2, 3 dicere »Vestae virgines« pro »virginibus Vestalibus«, quae est forma vulgaris; videtur autem illam repetivisse a Tacito, quippe qui in annalibus vulgaris locutionis, quae in historiis exstat, taedio captus eam usurpet.

In *vocabulorum collocatione* qua ratione secutus sit Florus Tacitum, quoniam in dissertatione mea p. 36—41 copiosius disserui ratione habita eorum, quae Andresenius in commentatione »De vocabulorum apud Tacitum collocatione« Programm des Berlinischen Gymnasiums zum grauen Kloster 1874 proposuit, hoc loco insigniora tantum nonnulla exempla afferam. Tac. an. XI 35, 4 legitur: »effigiem patris Silii *consulto senatus* abolitam demonstrat«. In genetivo »senatus« postposito eo magis nobis offendendum est, quod S. C. nota usitata fuit stili quem dicunt curialis; cf. corp. grammat. lat. IV 273 K. Hanc insolitam collocationem Florus imitatus est III 21, 8 »ex consulto senatus adversariis hostibus iudicatis«. Porro mos Taciteus adiectiva attributa a nominibus propriis derivata priore loco collocandi etiam Floro videtur placuisse. Sic legimus »Pomptino agro« I 13, 20 Tac. an XV 42, 11 »Punicum bellum« II 3, 1. 6, 1; Tac. an IV 56, 8. Alpina corpora II 4, 2. »Sullana tempestas« et alia sescenta hisce similia exempla; cf. diss. p. 37. Porro rarissima sunt exempla adiectivi numeralis inusitate positi, qualia leguntur Tac. an. III 10, 10 »iudice ab uno« XI 36, 11 »noctemque intra unam«. Flor. III 17, 5 »urbe in una«. — Praeterea inter se conferantur velim Flor. II 8, 15 »Maeandrum ad amnem« et Tac. an. II 60, 2 »oppido a Canopo« IV 43, 15 »montem apud Erycum«. XV 53, 11 »Ferentino in oppido«. Hunc morem praepositionis duobus substantivis arte inter se cohaerentibus inserendae Tacitus primus in pedestrem orationem recepit neque id prius fecit quam in libris ab excessu divi Augusti. Ante eum singulis locis Vergilius et Ovidius, hic Metam. XI 156, ille Aen. VIII 292 praepositioni »sub« similem locum assignaverant. — Praeterea Tacitus in deliciis habuit verbis »accedere« »addere« »adesse« »augere« primum in enuntiato locum assignare, quippe quae aut summam sententiae contineant aut transitum ad ea quae sequuntur parent. Hoc Florus quoque adamavit: I 18, 5 »aderat sine mora querellam ferens legatio«. I 13, 14. II 2, 34. 9, 3. III 7, 8. 9, 1. IV 2, 56. — IV 2, 65 »auxerat sacramentum ipsa clades imperatoris«. — IV 1, 4 »additum est pignus coniurationis sanguis humanus.« — IV 2, 65 »accessit copiis Mauritaniae rex Iuba« et alia exempla. Neque silentio praetermittendum est Florum aeque ac Tacitum ablativi absoluti et gerundii eam rationem sequi, ut longe plurimis locis verbum ante substantivum collocet, cuius rei exempla in quavis fere pagina leguntur. Hist. I 59, 1. an. III 56, 6 IV 29, 14 Tacitus »deinde« sive »dein« inter praenomen et nomen posuit; idem habes apud Florum I 4, 1 »Ancus deinde Marcius. —: mox« saepius a Tacito inter adiectivum et substantivum collocatur, ut Woelfflinus observavit, velut hist. I 32, 12. II 101, 4. an. VI 34, 10. XI 26, 13. XIII 22, 3. Hoc imitatus est Florus I 19, 1 »omnis mox Italia« IV 12, 59 »certa mox fides«. Magna denique similitudo inest hisce locis: an XIII 54, 2 »ereptum ius legatis ducendi in hostem« et Flor. III 5, 16 »fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit«

Quoniam in universum de utriusque dicendi genere disputavi, nunc nonnullas res ad syntaxim pertinentes proponam, quas Florus sive consulto sive inscius videatur imitatus esse; illud moneo, ea quae Taciti vere propria videntur, quam artissimis finibus esse circumscripta.

Substantiva abstracta pro concretis posita haec apud Tacitum et Florum exstant: »dilectus« pro militibus conscriptis hist. IV 71, 5 »dilectus per Galliam habitos in civitates remittit« Flor. IV 2, 5 »hinc Gallici Germanique dilectus scl. stabant«: — »fides« pro auctore, indice, hist. II 5, 12 »praecipua concordiae fides Titus« Flor. I 2, 3 »Janumque geminum, fidem pacis ac belli«. — »matrimonia« pro uxoribus, an II 13, 13 »matrimonia hostium praedae destinare«. Flor. I 1, 10 »matrimonia a finitimis petita«. — »dominatio« pro dominis, an XIII 1, 13 »dominationibus aliis fastiditus«. Flor. I 24, 3 »totam eam dominationem . . . in carcerem et catenas detraxit«.

Tacitus primus substantivum »captivitas« usurpavit pro expugnatione, sine dubio sic interpretans Graecorum ἅλωσιν; cf. hist. III 70, 13 »captivitatibus urbium«. an. XVI. 16, 10 »captivitate urbium«. Hoc Florus imitatus est II 6, 8 »manibus eorum vastatione Italiae, captivitate Africae, ducum . . . exitio parentatum est.« — Saepissime apud Tacitum, qui huius usus auctor videtur esse, »epistula« plurali numero de una epistula legitur, cf. Gerber et Greef lex. Tac. sub h. v. Apud Florum exstat II 12, 14 »sed multo prius gaudium victoriae populus Romanus quam epistulis victoris praeceperat«.

Quod attinet ad adiectivorum usum, substantivi vice fungitur »egregium«, Tac. an. III 70, 11. IV 24, 10. Flor. III 10, 4 »illud egregium ipsius ducis«. — Comparativum »innocentius« Florus ex Tac. hist. I 9, 9 desumpsit; exstat autem IV 1, 6, quo loco Tacitus codicis Bambergensis lectionem tuetur.

Nihil apud Tacitum frequentius est, quam ellipsis verbi substantivi. Livius aliique scriptores quamquam hac ellipsi utuntur, tamen caute et dubitanter ad eam accedunt;[1]) Tacitus autem tanta libertate tantaque licentia eam usurpat, et non uno loco editores in nimis audaci brevitate offendentes copulam reponere aequum duxerint; cf. Draeg. synt. hist.² I p. 204. Qua in re Tacitum aliquid valuisse ad Flori dicendi genus conformandum et ex numero et ex ratione exemplorum cognoscitur. Neque enim solum in unaquaque huius scriptoris pagina plura illius omissionis exempla inveniuntur, sed etiam, id quod raro apud ceteros scriptores fit, in enuntiatis relativis, condicionalibus, temporalibus verbi substantivi et indicativus et coniunctivus excidit neque id uno loco sed saepius. Porro Florus aeque ac Tacitus (cf. Heraeum ad hist. I 19) in deliciis habuit in causa vel origine alicuius rei narranda post »hinc, inde, unde« »est« sive »erat« omittere. Praeterea apud Florum exciderunt verba movendi, agendi, manendi, regnandi, pugnandi, subigendi alia. Denique magna similitudo intercedit inter hosce locos: Tac. hist. II 16, 14 »et longe Germaniam viresque legionum«. Flor. II 2, 8 »longe illis nauticae artes h. e. non profuerunt». II 6, 34 »longe illi triplex murus«. His enim locis non solum statuenda est ellipsis, sed etiam adverbium praedicati vice fungitur.

In adverbiis coordinandis Florus nonnumquam Tacitum imitatus est. Tac. an. I 47, 13 »primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit; cf. I 20, 10. Flor. IV 9, 2 »primum hostes, deinde civis, tandem etiam saeculum terrore liberavit«. Hunc locum Tacitum sapere iam Freinshemius cognovit. — Tac. an XV 11, 1 »Vologeses, quamvis obsessa a Paeto itinera hinc peditatu inde equite accepisset.« hist. V 24, 11 »inde iniuriam et culpam, hinc ultionem et deos

---

[1]) Qua in re quantum differant Livius et Tacitus, exponere conatus est Paulus Petzke in dissertatione, quae prodiit Regimonti 1888: »Dicendi genus Tacitinum quatenus differat a Liviano«. Vereor ne haec quaestio diligentius quam utilius instituta sit; cf. Archiv für lat. Lex. u. Gram. VI 292. Berliner Phil. Wochenschrift 1889 pag. 1619—21. Bursians Jahresbericht 1889 pag 231.

fore«; cf. Agr. 25, 10. Flor. III 22, 6, cum hinc Domitius et Thorius, inde Hirtulei proluderent III 21, 18, »cum hinc octo legiones . . . starent in armis, inde ab Asia . . . Sulla properaret«. I 3, 4. II 12, 16. IV 2, 5. 7, 11.

Quod ad casuum syntaxim attinet, Florus haec videtur Tacito debere: »elabi« cum accusativo Tacitus habet an. I 61, 15. IV 64, 13, hist. III 59, 11 »custodias Vitellii elapsum«. Flor. I 10, 7 »elapsa custodiam«, quo loco Sauppius, »de arte critica in Flori bellis recte facienda« in indice scholarum Goetting. 1870 Nazariani lectionem suo iure restituit. — »invadere«, h. e. per vim occupare, cum accusativo apud utrumque locis simillimis legitur. Tac. hist. II 92, 12, »invaserant opes imperii«. III 66, 11 »ubi imperium Vespasianus invaserit«. an XIII 19, 17, »rem publicam invadere« an XV 52, 11. Flor I 6, 1 »gubernacula urbis invadit« I 8, 2 »ut invaderet regnum«. IV 2, 11 »de invadenda re publica facile convenit«. Praeterea conferas velim hist. IV 68, 18 »si exercitum invasisset«, i. e. regimen exercitus, et Flor. II 14, 3 »regnum pariter ac bellum invaserat«, h. e. regimen belli. Similia exempla leguntur apud Aurelium Victorem, qui quin multa Tacito debeat, dubium non est; cf. Woelfflinum in mus. rhen. XXIX p. 302 de hac re disserentem.

Dativi pro genetivo insolentius positi haec ex utroque scriptore exempla comparanda sunt: Tac. hist. II 19, 8 »quod coloniam virium et opum validam . . . . . sedem bello legisset«. Flor. IV 2, 35 »sedem bello Pompeius Epiron elegerat«. Tac. hist. V 8, 2 »Hierosolyma genti caput«. an. I 56, 15 »id genti caput«. Flor. I 1, 4 »Alba tum erat Latio caput«, — »inhiare« cum dativo translate de personis pluribus locis a Tacito dictum est velut an. IV 12, 14 »Agrippinam subnixam popularibus studiis inhiare dominationi«. XI 1, 2, XII 59, 3 »hortis inhians« XVI 17, 16 »Nero . . . . . opibus eius inhians«. Idem exstat apud Florum III 11, 12 »(Crassus) dum Parthico inhiat auro« III 11, 5 »regis inhians ille thensauris«.

Ablativus ab utroque scriptore contra ceterorum consuetudinem adiunctus est suescendi sive assuescendi verbo. Flor. IV 12, 17 »barbaros et signis militaribus et disciplinâ, armis etiam Romanis adsueverat«. Tac. an. II 52, 10 »divisusque exercitus, ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos castris attineret ⟨et⟩ disciplina et imperiis suesceret«. His locis manifestam esse utriusque similitudinem Carolus Sittl (Archiv für lat. Lex. u. Gram. I 517) exposuit, qui Pichenae Halmiique coniecturam apud Tacitum pro »disciplin**a**« scribere iubentium »disciplin**ae**« non probat. — Ablativi causales apud ceteros scriptores non exstantes apud utrumque hi leguntur: »aemulatione et invidia« Tac. hist. II 29, 9. 101, 5. III 65, 3. Flor. I 11, 1. (cf. supra pag. 5) »aemulatione« solum legitur I 14, 1, ut Tac. an. II 44, 7 et saepius. »contemptu« Tac. an. VI 45, 7 Flor. I 14, 1. — »furore« Tac. hist. I 63, 5. Flor. I 24, 1. — »magnitudine sceleris« Tac. hist. I 28, 2. »magnitudine cladis« Flor. II 6, 15 »respectu« Tac. dial. 16, 27 ex Spengelii emendatione, Flor. IV 2, 79. —

Quod attinet ad *praepositionum* usum, haec inter Tacitum et Florum similitudo intercedit: »Apud« uterque scriptor pro »in« cum ablativo ponit. Nihili facio, quod hic usus, qui vulgaris quem dicunt sermonis proprius erat, bis apud Ciceronem (Verr. IV 22. legg. II 16), semel apud Livium (XXXXIII 12, 1) exstat: Tacitum cum primum idque orationis variandae studio adductum in librorum orationem recepisse non solum ex eo elucet, quod aequo magis invenitur, sed etiam ex eo, quod, quo longius in scribendo procedit, eo licentius illi praepositioni non solum nomina propria sed etiam appellativa adiungit; cf. Draegeri synt. hist. I p. 2 585 sq. Neque Florus hoc imitari dubitavit: I 1, 5 »ipse fluminis amator et montium, aput quos erat educatus«; cf.

Tac. an. XII 13, 8 »interea Gotarzes apud montem, cui nomen Sanbulos, vota dis loci suscipiebat«. Flor. IV 2, 45 »apud principia conspectus est«; sed III 10, 12 »in principiis legitur.«

Idem fere dicendum est de »post« praepositione, qua Tacitus orationis brevitatem affectans ita utitur, ut aut participium addendum sit aut praepositio cum substantivo enuntiati temporalis vice fungatur. Qua de re uberius disputaverunt Woelfflinus in Philologi tomo XXVI pag. 133 et Binsfeldius in mus. rhen. t. XXVI p. 312. Tac. hist. III 49, 2 »Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam (scl. deletam) agebat« cf. Flor. I 19, 1 »quid enim post Tarentum (scl. captum) moliri auderent?« II 7, 1 »post Carthaginem (scl. deletam) vinci neminem puduit«. III 1, 1. 4, 1 »post Macedonas« h. e. postquam Macedones victi sunt. IV, 2, 29 »post quinque legiones« (scl. devictas) IV 8, 9 »post Xerxen«.

Venio ad »propter« et »ob« praepositiones. Bieligkius, ut Flori elocutionem a Liviana pendere demonstret, pag. 50 sq. comparat Flor. I 1, 15 »ob aetatem« IV 2, 37 »ob inopiam« cum Liv. XXI 2, 6 »ob iram« et aliis locis. Sed fugit eum Livium promiscue usurpare et »propter« et »ob« vi causali, apud Tacitum autem et Florum singulis tantum locis exstare »propter«, cum ceteris omnibus locis causa exprimatur praepositione »ob«, eique adiungantur non solum substantiva sed etiam pronomina demonstrativa velut ob ea, ob hoc, ob haec. Itaque non potest Florus in hac re imitatus esse Livium. Quod ita se habere egregie exposuit Woelfflinus (Archiv für lat. Lex. u. Gram. I 161 sqq.), qui iam ante Tacitum »propter« causale magis magisque neglectum esse vidit. Tacitum imprimis ab hac voce abhorruisse intellegitur ex magno locorum quibus »ob« legitur numero. Etiam Ammianus Marcellinus, quem Taciti dicendi genus imitatum esse satis constat, uno loco excepto »ob« usurpat. Ac si quis quaerit, qui fieri potuerit, ut propter causale argentea quae dicitur latinitate magis magisque evanesceret, haec reperitur causa, quod scriptores aegre ferre coeperunt eandem praepositionem et causalem et localem habere vim, qua in re prioribus temporibus offenderat nemo.

Etiam in *particularum* usu nonnumquam in Floro elocutionis Taciteae proprietates deprehenduntur. Velut Florus adamavit »iam et«, quod Tacitum, ne repetita voce »iam« legentium aures offenderet, pro »iam etiam« posuisse Woelfflinus in Philologi tomo XXV p. 110 ostendit; cf II 6, 42. 15, 11. III 20, 3. IV 2, 10. 8, 1. — In pluribus rebus enumerandis Florus aeque licenter ac Tacitum particulas copulativas variasse supra p. 5 memoratum est.

Neque minus clare ex *parenthesium* usu perspicitur nonnulla ex Tacitino dicendi genere in Florianum redundasse. Non dico de hisce locutionibus: mirum, incredibile, horribile, immane dictu, incertum an, dubium an, quippe quae etiam apud alios scriptores legantur; apud solum Tacitum exstat »rarum« neque id prius legitur quam in annalibus, ut ii qui Tacitum, quo magis in scribendo procederet, eo singularius orationem suam conformasse cum Woelfflino consentiunt, scriptorem hanc locutionem ex suo ipsius ingenio prompsisse facile intellegant. Legitur autem an. I 39, 17 »ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset«. I 56, 7 »rarum illi caelo«. VI 10, 11 »rarum in tanta claritudine«. Idem habes apud Florum I 3, 5, »sic — rarum alias decus — unius manu parta victoria est«.

Eodem modo in »donec« coniunctionis usu Floriano Taciti imitatio agnoscenda est. Coniungit enim Tacitus hanc coniunctionem notione »bis«, quam saepissime ei imponit, omnino inusitate uno loco cum imperfecti temporis modo indicativo, ubi perfecti temporis modum indicativum exspectaveris, id quod apud Tacitum ἅπαξ εἰρημένον esse omnes consentiunt: hist. I 9, 4 »inferioris Ger-

maniae legiones diutius sine consulari fuere, donec missu Galbae A. Vitellius aderat«. Neque haec constructio fugit Florum, qui loco simillimo in suum usum eam convertit. I 7, 10 enim legitur »tam diu superbiam regis populus Romanus perpessus est, donec aderat libido«. Sic recte ex codice Bambergensi a Sauppio editum est; in Nazariano falsa lectio »aberat« exstat, quam praetulit Halmius. Sed eam ferri non posse ex eo intellegitur, quod »donec« apud Florum semper »bis« interpretandum est. I 9, 8. 10, 8. 11, 2. II 6, 17. III 3, 5. 5, 2. 21, 5. 25. 22, 9. IV 9, 6. Ac ne quis cum Halmio offendat in eo, quod nostro loco praecedit »tam diu«, moneo etiam I 10, 8 »donec« praecedente »tam diu« »bis« valere: »Tarquinii tam diu dimicaverunt, donec Arruntem filium regis manu sua Brutus occidit«. — Cum coniunctionum temporalium mentio facta sit, silentio non praetermitto »quamdiu« ut apud Tacitum sic apud Florum nullo loco legi.

Etiam in »quasi« particulae usu Florum Taciti elocutionem esse imitatum manifestum est, sive maximum numerum locorum, quibus haec particula exstat[1]), respicis, sive novam vim causalem, quam Tacitus primus huic voci imposuit. Non dico de huius particulae usu vulgari: satis habeo monere ei apud Tacitum non uno loco vim causalem inesse eamque idem valere atque Graecum ὡς, ut nobis plerumque interpretandum sit, »angeblich weil«; cf. Draegeri synt. hist. II pag. 680 sq., ubi exempla Tacitea suppeditantur. E Floro huc referenda sunt: I 2, 3 »haec omnia quasi monitu deae Egeriae, quo magis barbari acciperent«. Consentaneum est nobis interpretandum esse »angeblich auf Geheiss« I 6, 2 »ergo inter Tarquinii mortem adnitente regina substitutus in locum regis quasi in tempus«. I 11, 1 »igitur omne Latium Mamilio Tusculano duce quasi in regis ultionem tollit animos«. I 14, 3 »quasi monitu deorum«. I 18, 22. III 19, 4. 21, 20. IV 12, 4. Eodem modo Tacitus usurpavit »velut« an. XI 24, 4. XV 53, 12. XVI 2, 3; cf. Flor. I 13, 14 »velut deos geniosque venerati« h. e. im Glauben, es seien Götter. — »sic — quasi« Florus pluribus locis usurpavit, ut III 6, 1 »sic maria bello quasi tempestate praecluserant«. III 6, 10. 10, 3. 15. 21, 20. IV 7, 1. 11, 11. Ante Florum ex argenteae aetatis scriptoribus apud Tacitum solum legitur dial. 13, 9. — Primus Tacitus usurpavit »perinde quam«: hist. I 30, 23 »perinde a nobis donativum ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis«. IV 52, 4. 72, 16. an. IV 20, 20 (sine dubio cum Beroaldo »perinde« legendum). VI 30, 12. XV 21, 8. Hoc imitatus est Florus III 3, 17 »perinde speciosa mors earum fuit quam pugna«.

»Quamvis« apud Tacitum primum rem vere gestam significat hist. II 79, 4 et aliis locis. Idem Flori proprium est; cf. I 10, 2 »quamvis et armis et fame urgueret«. II 6, 30 »qu. pugnaret«. II 7, 2. 11, 5. III 19, 12. IV 2. 36. 7, 1. 9, 1. Eandem coniunctionem Tacitus primus participio aut ablativo absoluto adiunxit; Livius Ciceronianis legibus se continens eam nisi cum adiectivis non coniungit, si quidem, id quod dubium esse non potest, II 39, 7 »externus timor . . . . quamvis suspectos infensosque inter se iungebat animos« suspectos pro adiectivo est habendum. Tac. hist. I 5, 9 »quamvis capite defectionis ablato manebat plerisque militum conscientia« an. I 6, 2 »quamvis firmatus animo centurio«. I 37, 11. Idem non uno loco apud Florum invenitur: I 6, 1 »nec obscuritas inhibuit (scl. Servium Tullium) quamvis matre serva creatum. II 15, 12 »quamvis profligato urbis excidio tamen fatale Africae nomen Scipionum videbatur«. III 1, 18 »qu. victus ac vinctus«. 10, 2 »qu. toto orbe divisi.« IV 1, 11.

---

[1]) Cf. Woelfflin. Phil. XXIV 117—122. Spengel., Abhandlungen der Bayr. Academie der Wissenschaften IX 1861 p. 340.

II.

De Flori verbis emendandis Iahnius in editione sua Lipsiae a. h. s. LII in publicum emissa ita iudicavit, ut codicibus recentioribus omissis Bambergensem adhibito ubi fieri posset Iordane, quem multa ad verbum ex Floro exscripsisse constat, fundamentum verae lectionis restituendae habendum esse diceret. Sed vel optimum codicem non immunem a vitiis esse, quae emendatione egerent, sive ex libris antiquioribus translata essent sive ex librarii incuria nata. Ad quae deprehendenda atque tollenda permagni momenti esse codicem Nazarianum ipsum quoque saeculo IX scriptum, qui quamquam in universum inferior esset, tamen haud pauca sive casu sive librarii diligentia scripta servavisset, quae in Bambergensi corrupta exstarent. Quod quamquam in universum recte iudicatum esse nemo est qui neget, tamen Iahnium nimio Bambergensis studio abreptum iusto pluribus locis eius scripturam Nazariano praetulisse ii, qui posterioribus temporibus ad criticam in Floro faciendam accesserunt, facile intellexerunt. Velut haud ita multo post Halmius, quamquam omnino cum Iahnio consentit, quin etiam plura quam hic ex Bambergensi restituit, tamen non uno loco ad Nazarianum redeundum esse putavit. Post eum Franziscus Koehler in dissertatione Gottingensi a. h. s. LXV, quae inscribitur »Observationes criticae in Iulium Florum« vel sententiarum rationibus vel dictionis proprietate, qua usus est Florus, commotus Nazariani in nonnullis rebus praestantiam demonstrare conatus est. Nonnullis annis post (a. 1871) idem fecit Sauppius in commentatione »De arte critica in Flori bellis recte facienda« indici scholarum Gottingensium praemissa, ubi doctissimus ille vir aut aliorum scriptorum testimoniis nisus aut Flori dicendi consuetudine recte perspecta aut rerum ac verborum contextu ductus multis locis Nazariani lectionem retinendam esse censuit. Neque postea defuerunt, qui alius alio loco Nazariani scripturam iis, quae in Bambergensi leguntur, praeferrent; ut de aliis taceam, paucis abhinc annis Theodorus Opitz quasi quoddam spicilegium criticum in Iulio Floro faciens (Programm des königl. Gymnasiums zu Dresden 1884) aliquot locis a prioribus neglectis veram scriptoris manum imprimis pag. 13 sqq. ex Nazariano restituit. Optimo enim iure hic monuit non semel exhibere Nazarianum lectionem multo rariorem exquisitioremque ea, quae inveniretur in Bambergensi; iniuria autem esse factum, quod in critica facienda eiusmodi lectiones aspernati sint editores. Quod recte iudicare Opitzium evidenter nuperrime demonstratum est a Woelfflino (Archiv für lat. Lex. u. Gram. VI 4). Duobus enim locis, quibus Florus utitur flagrandi verbo II 18, 7 (54, 29 Iahn)[1]) et III 5, 3 (64, 4), Nazarianus exhibet *fraglare,* quae forma apud Frontonem, Apuleium, Arnobium, Cyprianum tam frequens est, ut dubium non sit, quin scriptoribus ipsis, non

---

[1]) Hoc loco ex Woelfflini collatione — Iahnium fugit — *firaclans* legitur. Non est dubium quin in archetypo scriptum fuerit *fraclans;* corruptela inde est orta, quod scriba, ut ex sua sententia *fraglans* corrigeret, litterae r litteram l superscripsit, quae postea falso pro i habita est; cf. Archiv IV 9.

librariis debeat originem. Ea autem, quam hic habemus, metathesis liquidarum l et r propria est Africanae quae dicitur latinitatis scriptorum: quorum in numero quin Florus quoque habendus sit nemo dubitat, qui dialogum illum »Vergilius orator an poeta« a Floro conscriptum satis diligenter perlegit, unde elucet historicum eundem esse atque rhetorem et poetam eumque fuisse oriundum ex Africa. Quae cum ita sint, iniuria adhuc forma »fraglare«, quam Florus primus litteris mandavit, in Nazariano recte servata neglecta est. Idem codex I 9, 4 (12, 17) exhibet: »Horatius Publicola *ex* summo studio adnisus est ad augendam liberi populi maiestatem«. Editores, qui hoc loco praepositionem eiecerunt, fugit post Florum apud Africanos simillima legi. Velut Fronto p. 42, 19 N. habet »ex summis opibus premere« 228 »laudem ex summis opibus conscribere« Apulei. met. II 32 »ex summis viribus inruentes« VIII 5 »ex summo studio bestiam insequi« et id genus alia. Verisimile est Florum admodum adulscentem hanc locutionem in Africa audivisse, non oblitum esse senem. Nam eam ex Plauto, qui talia adamavit, in eius dicendi genus non influxisse vix est cur memorem.

Hisce exemplis, quibus alia addere facile est, satis demonstratum videtur, non omnibus locis ea, quae in codice Nazariano rariora atque a communi dicendi genere recedentia inveniuntur, prorsus esse contemnenda. Quam rem eo magis commemorandam existimavi, quod locis infra propositis nonnumquam ex Nazariano lectionem rariorem ea, quae est in Bambergensi, restituere conabor.

Nonnullis locis Naz. verbum substantivum omittit, cum in Bamb. legatur. I 15, 3 (20, 1) *qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem* (Bamb. addit *est);* II 15, 2 (49, 16) *adquin si quis trium temporum momenta consideret, primo commissum est Punicum bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum* (Bamb. *est)* IV 2, 46 (99, 13) *qui mox adacto in os gladio sic inter cadavera repertus* (Bamb. *est);* IV 12, 1 (119, 24) *hac clade factum* (Bamb. *est), ut imperium . . . . in ripa Rheni fluminis staret.* His locis Nazarianum Flori manum servasse iis, quae supra p. 7 exposui probatur. Etiam III 14, 3 (80, 4) Halmius *sed,* quod in Bamb. est, perverse in *est* mutavit; melius cum Naz. omittitur; neque est, cur IV 2, 69 (102, 1) et IV 2, 71 (102, 7) cum Iahnio ex Bambergensi *est* addatur. Eadem de causa II 15, 11 (50, 10) Nazariani lectionem *operti portus, nudatus et primus et sequens, iam et tertius murus* multo praefero lectioni Bamb. *nudatus est* scribentis. Denique IV 12, 60 (122, 22) *circa enim* (sic Halmius) *omnis aurifera est et chrysocollae . . . . ferax* Iahnius nulla necessitate coactus *est* in textum recepit, quamquam neque in Bamb. neque in Naz. exstat. — Contra III 15, 6 (80, 28) *caput tribuni plebis percussoribus auro repensatum* Bamb. copulam, quae in Naz. legitur, omittit.

I 7, 2 (10, 20) *hic regnum avitum, quod a Servio tenebatur, rapere maluit quam expectare missisque in eum percussoribus scelere partum potestatem non melius egit quam adquisierat.* Sic Bamb., Iahnius, Halmius. Contra Naz. exhibet *inmissisque in eum percussoribus,* quae lectio unice vera est. Nam »inmittere percussorem« idem est quod »subornare«, apud nos dingen, quae locutio primum invenitur apud Tacitum an. III 16, 6 »nec illum sponte extinctum, verum inmisso percussore«. Apud Florum in utroque codice servata est III 1, 8 (58, 13). Praeterea legitur apud Aurelium Victorem, quem multa Tacito debere supra memoratum est, de vir. illust. 6. 66. 67. 76. 81.

I 15, 2 (19, 18) *qua Nar, Anio, fontes Velini* Bamb. *fontesque Velini* Naz., quod haud scio an verum sit. Videtur enim Florus meminisse Vergilii Aen. VII 517 »sulpurea Nar albus aqua fontesque Velini«.

II 2, 17 (30, 27) *insuper augente Nautio tribuno metum* Bamb. *augente insuper* Naz. Hanc collocationem veram esse puto. Tacitus quidem »insuper«, qua voce frequenter utitur, semper illi verbo postposuit, cui sententiae vis inest, ut intellegi licet ex iis, quae Gerber in Philologi t. XXXIII p. 623 exposuit, ubi scripturam librorum hist. II 93, 9 mutandam censet in »confusus insuper«.

